

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 11. Quomodo colendus quilibet Sanctus, praesertim in ejus Festivitate

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

gratia , & benedictione replevit. Tu arbor vitæ fuisti, in Ecclesiæ Paradiso sita, ex qua tam dulcis , tam utilis , tam pretiosus extitit fructus , qui & te benedictam fecit , & nos eripuit à maledictione , & morte peccati , & omni benedictione cumulavit.

Sancta Maria Mater Dei, quæ sancta es , & sanctitatis prodigium ; donorumque & gratiarum pelagus in-exhaustum. Vera Mater Dei, quæ Deum hominem factum peperisti : pia mater nostra , quæ erga nos maternum geris affectum , & mater peccatorum vocari non erubescis.

Ora pro nobis peccatoribus. Non dicimus quid ores , quia tu scis quid expedit nobis. Tu sancta es , & quid nobis nisi sanctitatem postulabis ? Tu gratia plena , quid petes nisi gratiarum abundantiam ? Ora igitur pro nobis.

Nunc , & in hora mortis nostræ. Duplex auxilium nobis est necessarium : alterum ut sanctè vivamus , alterum ut sanctè moriamur. Utrumque nobis impetra , ut praesenti tempore ab omnibus malis animæ & corporis liberati , in sanctitate progrediamur , & perseveremus : & cum hora mortis nostræ advenerit , ab omnibus insidiis diaboli erepti , sancti & immaculati hinc decedamus , & perpetuo Dei aspectu in cœlesti patria perfruamur. Amen.

§. XI. *Quomodo cotendus quilibet Sanctus , præsertim in ejus Festivitate.*

Constat hoc exercitium quintuplici actu , nimirum adoratione , gratiarum actione , petitione , congratulatione , & oblatione .

1. Ex amore Dei , & Sancti illius , quem propter Deum amas , sanctissimam Trinitatem actu latræ adorabis , tanquam principium omnium donorum naturæ , gratiæ , & gloriæ , quibus ille Sanctus fuit ornatus in hac vita , & nunc ornatur in cœlo. Ex simili quoque amore ipsum

Sanctum adorabis actu duliae, tanquam ornatum illis donis
in hac vita, & in cœlesti gloria. Eodem modo omnes
ejus reliquias, ubicumque servantur, adorabis; concipi-
endo eas in variis partibus dispersas.

11. Gratias ages sanctissimæ Trinitati pro omnibus
donis illi concessis; & Christo in quantum est fons, ex cuius
meritis illa dona fluxerunt. Deinde gratias ages ipsi San-
cto: Primo, quia tam fideliter Domino suo servivit in hac
vita & bene usus est donis naturæ & gratiæ sibi concessis.
Secundo, quia nunc in gloria cœlesti tam perfecte famu-
latur Deo, ipsum laudando & amando. Tertio, pro omni-
bus beneficiis per ejus merita vel preces, Ecclesiæ sanctæ,
vel alicui particulari concessis: & præsertim pro
exemplis optimæ vitæ ad imitandum relictis. Demum
gratia ages Angelo ejus custodi, aliisque Sanctis, qui
cum in hac vita juverunt & quorum auxilio sanctam tra-
duxit vitam & ad gloriam Paradisi pervenit.

111. Rogabis sanctissimam Trinitatem per Christi &
ejus Sancti merita, ut tibi & aliis ipsius devotis det gra-
tiam sancte vivendi, ut ille vixit; & ad gloriam perve-
niendi, ad quam ille pervenit. Eundem quoque Sanctum
deprecaberis, ut propter Dei amorem idem nobis effica-
citer impetraret: Rogabis, ut in Ecclesia sancta minuatur,
quam maximè fieri potest, numerus peccatorū existentiū in
peccato mortali & justorum tepidè Deo servientium: ut
extra illam minuatur numerus infidelium Iudæorum, Hæ-
reticorum & Schismaticorū: ut Principes Ecclesiastici cum
toto Clero & Religiosis gratum divinæ Majestati exhi-
beant famulatum, quilibet pro ratione sui gradus: ut
Principes seculares cum omni statu seculari majorem ha-
beant rationem divini honoris & obedientiæ erga Eccle-
siam, quam ullius commodi temporalis; & inter se mutua
concordia pacifice viventes; bonis temporalibus ad animæ
salutem & pauperum subsidium utantur: ut qui ejus
auxilia implorant, salutarem consequantur effectum &

quantocius exaudiantur: ut defuncti, qui in hac vita eum
devotè coluerunt, & alii qui nullis specialibus suffragiis
juvantur, è pœnis Purgatorii citò liberentur: ut te ad-
juvet in omnibus negotiis tuis, maximè in eo quod tunc
præ manibus habere contingit.

i v. Congratulaberis sanctissimæ Trinitati, & Christi
humanitati, quod ille Sanctus tam fideliter in hac vita
Deo servierit & nunc sit beatus in patria. Eidem quoque
Sancto de hac ipsa re congratulaberis & de omni honore,
qui ei in hac vita exhibitus est, exhibetur & usque ad
diem judicii exhibebitur. Angelo item ejus custodi &
aliis Sanctis, qui eum juverunt in hac vita, quod nunc gau-
deant de tam felici fructu auxiliorum suorum ad laudem &
gloriam Dei.

v. Offeres sanctissimæ Trinitati & Christi humanitati,
omnia merita illius Sancti & omnes ejus satisfactiones
Christi meritis unitas, in honorem divinæ Majestatis &
Iesu Christi humanitatis: in gaudium accidentale Beatæ
Virginis, Angeli custodis & aliorum Sanctorum; illorum
præsertim, qui amici ejus fuerunt in hac vita, vel quo-
quomodo eum juverunt: ad impetrādā remissionem
peccatorum tuorum & totius mundi, & ad tollendam pœnæ
temporalis obligationem, in quandam recompensationem
pro omnibus beneficiis tibi & toti mundo & præcipue in
eo templo per ejus Sancti merita concessis: ad ea obtinen-
da, quæ à Deo petis & quibus maximè indiges ad conse-
quendam vitam æternam. Ipsi autem Sancto offeres pre-
ces, quas fundunt ad eum omnes fideles pro suis necessi-
tatis, ut eas præsentet ante Tribunal Altissimi: Offeres
desiderium eidem placendi & ejus honorem propagandi.

§. XII. Exercitium internæ conversationis cum Sanctis.

Cum solus stas, aut iter agis, pro solatio tuæ solitu-
dinis socios tibi assumes cælestis curiæ cives. Et pri-
mo quidem ad B. Virginem accedes & eam cum Archan-
gelo Gabriele humiliter salutabis, agesque cum ipsa de my-